


FRANCISCI
TVRRIANI

*De Matrimoniis clandestinis
explicatio.*



T 276

VENETIIS,
EX OFFICINA Iordani Zileti, ad signum Stellæ.
M D C C C L I I I.



FRANCISCO

TERRA

D. Martin de Salazar

capitán




13801

480 6 1969

V E N D I D O

En presencia de los señores Jueces de esta Real Audiencia de San Francisco de Asís

M. D. L. G. O.



ILLVSTR. ET REVEREND².

D. D. STANISLAO HOSIO

*Card. Varmienſi ſacri concilij Legato
Patrono obſeruandiſſ.*

FRANCISCVS TVRRIANVS.



I quæ ſit natura matrimonij,
& quæ naturæ eius cõtraria,
quibus qui implicati ſunt, hi
ſunt cenſendi perſonæ non le-
gitimæ ad cõtrahendum ma-
trimonium, ex ſcripturis ſan-
ctis primum tanquam ex fonte, & ex Apoſto-
lica doctrina Eccleſiæ Catholicæ tradita, omni
anticipatione præiudicatæ opinionis relicta,
peteretur, non eſſet meo quidem iudicio de ma-
trimoniis Clandestiſtis tam obſcura quæſtio,
& tanta diſceptatio contradicentium: nunc ue-
ro quia plerique alia inſtituitur ratio commen-
tandi, differendi, & ſcribendi, ſit, ut ſicut in
aliis quæſtionibus, ſic quoque in hac magna ſit
diſſenſio: ac clandestina quidẽ matrimonia, non
ſolum eis uideatur, irrita fieri poſſe, ſed ſiquis
dicat, non poſſe, continuo poteſtatem eccleſiæ
ab iſto imminui putent, igitur quæ aliquando

in scripturas sanctas, & in Apostolicam do-
ctrinam, ac regulas sanctorum patrum intuēs,
mediocri studio commentatus, & breui dispu-
tatione complexus sum, quia occupatus ad-
ditione Apostolicarum constitutionum Clemen-
tis Romani, disputationibus Theologorū hoc
tempore interesse, & ipse etiam cum eis dispu-
tare non potui, ne omnino abesse mihi uide-
ret, nisi ea ad D. V. Illustriss. & Reuerend.
De cœlibatu enim, qui in quaestione quoque
positus est, & in disputatione, ut audio, uer-
satur, quid sentirem, scripsi pridem in secun-
do lib. de Dogmaticis characteribus uerbi Dei.
Fateor, si adessem, multos, multaq; audien-
do, & mea partim corrigendo, partim liman-
do multum proficerem: quod facere non posse,
non parum doleo. Vale Illustriss. & Reue-
rend. Domine, & Patrone obseruand. Ven.



F



FRANCISCI TVRRIANI

DE MATRIMONIIS CLANDESTINIS

EXPLICATIO,

Oecumenicum concilium non posse decernere, ut matrimonia clandestina irrita fiant.



Demonstrandam hanc conclusionē sumo principium diui Thomæ uerissimum, quòd impedimenta, quæ contrariantur iis, quæ sunt de essentia matrimonij, faciunt, ut non sit uerum matrimonium; Quare si demonstratum erit, contrahere clam, non esse, neque fieri posse, ut sit contrarium iis, quæ sunt de essentia matrimonij, consequens erit, ut non possit effici tale impedimentum, quod faciat, ut non sit uerum matrimonium: Ut autem demonstremus, illud, clam contrahere, non esse, neque fieri posse, ut sit contrarium iis, quæ sunt de essentia matrimonij, necesse est, ut explicemus, quæ sint de essentia matrimonij: sunt enim ea, quæ continet lex illa coniugalis, quam Dominus sanxit omnibus matrimonium cōtrahentibus, quando adduxit Euam ad Adam, & dixit Adam, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnem unam: hæc enim sunt, quæ omnes coniuges in Adam dixerunt, & protestati sunt; & quæ Adam prophetice nomine omnium contrahētium protestatus est: non sunt mea hæc, sed beati Martialis discipuli Petri in una

ex epistolis suis, & Asterij episcopi Amasæ in Homilia con-
 tra passim dimittentes uxores. Hæc ergo continent essentiam
 matrimonij, quæ maxima omnium auctoritate Clemens
 Romanus in lib. 7. apostolicarum constitutionum explica-
 uit, cum ait, fieri in matrimonio duos unum natura, con-
 spiratione, unione, affectu, uita, more. Ut iam sic fortas-
 se nobis Clementem secutis matrimonium definire liceat,
 esse coniunctionem legitimam uiri, & mulieris in unum na-
 tura, conspiratione, unione, effectu, uita, more. Quæ au-
 tem horum contraria sunt, id est, quæ faciunt, ne hæc in
 matrimonio reperiri possint, illa sunt uera impedimenta
 matrimonij: quæ non ab homine constituta sunt, sed ex na-
 tura rei, cui aduersantur, existunt: cuiusmodi sunt impedi-
 menta, quæ à Magistro sententiarum, & ab omnibus scho-
 lasticis magistrum secutis explicantur: quæ per Theologiam
 demonstratiuam ex eadem scriptura licet concludere, ex
 qua concludimus essentialia matrimonij secundum interpre-
 tationem Ecclesiæ Catholicæ, quæ nobis ab Apostolis tradi-
 ta est: cuiusmodi est hæc interpretatio multiplicis unitatis
 matrimonij essentialis, quæ Clemens ab Apostolis traditam,
 litteris mandauit. itaque propinquitas, affinitas, cognatio
 spiritualis, cognatio legalis, error, siue ignoratio personæ,
 aut conditionis feruilis, uiolentia, uotum, ordo, impoten-
 tia generandi, dispar cultus, defectus ætatis, amentia, hæc
 sunt, quæ faciunt, ne duo coniungi possint secundum legem
 matrimonij in unum unitate naturali ossis ex osse, & carnis
 ex carne, item unitate conspirationis animorum, unitate
 corporum commiscendorum ad generationem, unitate af-
 fectus coniugalis, unitate communionis uitæ, unitate mo-
 ris: explicarem hæc magis, si tempus, aut locus posceret.
 Sed his à me utcunque explicatis, sic argumentationem ag-
 gredior, nihil, quod non est contrarium essentialibus ma-
 trimonij, potest fieri impedimentum matrimonij, sed clam
 contrahere, non potest esse contrarium essentialibus mat-
 rimonij, ergo non potest esse impedimentum matrimonij
 quod uero clam contrahere non possit esse contrarium essen-
 tialibus matrimonij, quæ fuit altera sumpsio, sic demon-
 stro, clam contrahere non potest esse contrarium unitati na-

turali, qua coniuges, Deo ita instituyente, fiunt os ex ossibus, & caro ex carne, neque unitati conspirationis animorum ad educandam religiose prolem, neque unitati corporum ad adiuuandam generationem, neque unitati affectus coniugalis, neque unitati communionis uitæ, neque unitati moris: & non sunt plures unitates essentialia matrimonij, neque alias hæcenus Ecclesia Catholica per traditionem accepit, neque alias docuit, ergo non potest esse contrarium iis, quæ sunt essentialia matrimonij: ac proinde, quod est extremum, non potest esse impedimentum matrimonij. Sed dicet aliquis, quamuis illud, clam, non sit impedimentum matrimonij ex natura rei, sicut illa superiora, tamen potest fieri ex institutione humana impedimentum, sicut gradus consanguinitatis, ut S. Thomas de eis tradit: ut ad hoc respondeam, quod fortassis in hac quæstione difficilius esse uideretur, quæso, audite me, attente explicantem, quomodo intelligendum sit, quod tradit diuus Thomas, si uerum esse uolumus, quod tradit: demonstraturus enim sum ex scripturis, non esse propriè ex institutione humana prohibitionem graduum, aut non prohibitionem, sed potius ex institutione, & lege diuina, accedente interpretatione humana magistri Apostolici totius Ecclesiæ, qui est Pontifex, quæ interpretatio humana, si ita placet loqui, dicatur institutio humana: ita ut cum tradit nobis S. Thomas, ex institutione humana factam esse propinquitatem in his, aut illis gradibus impedimentum matrimonij, aut desisse esse impedimentum, sic intelligamus, non hoc fecisse auctoritate sua Pontificem, sed fecisse legem diuinam: cuius ratio, & causa, quæ est uelut anima eius, quando existeret, aut quando non existeret, ut existente, aut non existente causa legis, lex ipsa uigeret, aut non uigeret, ad eum quidem hominem pertinebat interpretari, cui talem potestatem dedit Deus, ut esset uniuersalis Ecclesiæ magister: hanc, ut dixi, interpretationem humanam si qui uolent institutionem humanam appellare, non contendam de uerbo: ego uero potius appellabo, ut ex parte aliqua istis uerbum concedam, institutionem interpretatiuam, non tamen, ut ita dicam, legislatiuam. Si ergo ostendero, propinquitatem generis

uerbi gratia, in v. aut vj. aut vij. gradu nunquam factam
 fuisse ex institutione humana impedimentum matrimonij,
 solum erit eorum argumentum, qui uolunt similiter ex
 institutione Ecclesiæ fieri posse impedimentum matrimonij,
 clam contrahere, ad quod argumentum si alij, qui in con-
 clusione nobiscum sentient, aliter respondere uidebuntur,
 non ideo conclusionis nostræ ueritas continuo uacillabit: il-
 lorum uero responsio qualiscunque erit, quia non erit con-
 tra nos, nobiscum faciet, & uos quæ solidiora uidebuntur,
 attendite. atque ut inde incipiam ostendere propositum,
 id est, propinquitatem in gradibus aliquando prohibitis
 ut v. vj. vij. nunquam fuisse factam institutione humana im-
 pedimentum matrimonij, aduertendum est, quod idem
 Clemens Rom. in vj. lib. constitutionum apostolicarum tra-
 dit, ex uetere testamento quædam prorsus antiquata, & de-
 sita esse, ut typica illa tum ad iudicialia, tum ad cerimo-
 nias Mosaici cultus pertinentia, alia mutata esse in meliora,
 ut sacerdotium Leuiticum in sacerdotium secundum ordi-
 nem Melchisedech, sacrificium cruentum in incruentum,
 cultum Dei uno loco circumscriptum in cultum Dei sine loci
 circumscriptione ab Oriente usque ad Occidentem, alia re-
 licta esse nobis eadem, ut decalogum, addamus nos, & quæ
 ad mandata, siue ad decalogum, pertinent, & referuntur,
 qui erat scriptus in tabulis Moysis lapideis, & idem est scri-
 ptus in tabulis cordis carnalibus: Vnum uero ex his decem
 mandatis est illud, honora patrem tuum, & matrem tuam:
 ad honorem autem parentum, qui sunt fons, & origo om-
 nium graduum consanguinitatis, & affinitatis, pertinet non
 accedere hominem ad proximam sanguinis sui, ut Domi-
 nus iussit in Leu. c. 18. unde illud tam frequenter ibi repe-
 titum, quia turpitudine patris tui est, quia turpitudine matris
 tuæ est: & illud, non reuelabis turpitudinem nurus tuæ,
 quia turpitudine filij tui est, ac proinde turpitudine patris: si-
 cut honor filij honor est patris: item cum ait, non reuelabis
 turpitudinem uxoris fratris tui, quia turpitudine fratris tui
 est, ac proinde turpitudine patris: itaque omnis turpitudine
 huiusmodi in consanguineis, & affinibus ad parentes tan-
 quam ad principium omnium propinquitatum, & affinita-
 tum

tum redundat, & pertinet: tam & si huiusmodi turpitudines in gradibus prohibitis alia magis, alia minus pertineant ad turpitudinem, & ignominiam parentum, ut gradus sunt propinquiores, aut remotiores: ex quo sequitur, ut non æqualiter prohibeantur à Deo auctore naturæ, & legis suæ, sed propinquiores magis, remotiores minus. Fuit alia etiam ratio præter honorem parentum, prohibendi in matrimoniis contrahendis gradus consanguinitatum, & affinitatum, scilicet multiplicatio amicitia, ut recte dixit S. Thomas: qui enim aliquo uinculo necessitudinis siue propter propinquitatem generis, siue propter affinitatem colligati sunt, non indigent alia necessitudine uinculi coniugalis: itaque non licet, ut qui erant antea propter propinquitatem generis os ex ossibus, & caro ex carne, sicut dixit Laban ad Iacob consobrinum suum, ex ossibus meis es, & caro ex carne: sic enim est apud 70. non licet, inquam, ut rursus fiant per matrimonium Deo ita instituyente, os ex ossibus, & caro ex carne, idque propter honorem parentum: quia qui fiunt per matrimonium os ex ossibus, & caro ex carne, fieri quoque debent duo in carnem unam, si generare oporteat: fieri autem in carnem unam, id est, misceri non possunt, qui sunt propinqui genere sine reuelatione turpitudinis parentum, qui sunt origo generis, & omnis propinquitatis. Sed si contingat, ut huiusmodi ratio, & causa prohibitionis graduum in matrimoniis contrahendis propter honorem parentum, & propter multiplicationem amicitia, deficiat aliquando, iam prohibitio naturalis, & diuina cessat, quia scilicet ubi causa cessat, & ratio legis, quæ est tanquam anima eius, cessat ite lex: ita ut Pont. cum in iis, quæ sunt huiusmodi, aliquid instituere uideatur astringendo, aut aliquid relaxare dispensando, interpretari potius mandatum Domini, diuinamque legem dicendus sit: sicut cum Aposto. prohibet, ne neophytus fiat Episcopus, causa est, & ratio, ut idem Apost. statim ait, ne superbia elatus in iudicium incidat diaboli: quare si quis sit modestia, & sanctitatis satis, ac satis spectata, & probata, non erit contra prohibitionem Apost. diuinamque legem de non ordinandis neophytis, si is fiat Episcopus. Sic beatus Ambro. cum ex neo-

phyto factus est repente Episcopus, respondens iis, qui ordinationi eius obtrectabant, quasi facta esset contra mandatum Domini, lib. 10. epistolarum ubi causa (inquit) non hæret, uitium non imputatur. Sic ordinati sunt Nestarius, Tarasius, & Flavianus, immo & beatus Cypria. ut Pontius Martyr in eius uita, quam scripsit, testatur. Similiter Digamus prohibetur, ne Episcopus fiat, causa uero, & ratio huius diuinæ legis per Apost. traditæ, & scriptæ hæc est, ut Innocen. I. sanctiss. & sapientiss. Pont. in Epist. 2. interpretatur, quia sit quoddam præiudicium futuræ incontinentiæ, non fuisse unis nuptiis contentum. Quare si quis sit, de quo quamquam Digamo uulla sit suspitio incontinentiæ futuræ propter magnam eius uiri sanctitatem, si opus esse uideatur, poterit salua diuina lege fieri Episcopus auctoritate Magistri uniuersalis, id est, Pontificis mandatum Domini diuinamque legem interpretantis. sic Theodoretus, ut ad Dominum Antiochiæ Episcopum scripsit, Irineum quendam digamum ordinauit. idemque factum esse ait ab Alexandro Cyri episcopo, & ab Acatio episcopo Berœæ, qui Diogenem quendam digamum ordinauerunt. neque enim audiendi sunt, qui quædam mandata, & leges quasdam Apostoli, quas ille spiritu Dei, qui in eo loquebatur, sanxit, nescio quid humanum habere falso tradunt, qui fuit error Origenis in côm. Num. c. 16. & eorum, qui Origenem in eo secuti sunt: Similiter ergo in gradibus consanguinitatis prohibitis cum honor debitus parentibus, qui sunt origo generis, & propinquitatum, & multiplicatio amicitia sint causa, & ratio prohibendi gradus, si is sit status temporum, & ea hominum conditio, ut iam in illis remotioribus gradibus non se agnoscant pro consanguineis, profecto neque honor parentibus detrahi uidebitur, neque amicitia multiplicatio impediatur, immo augebitur, si in illis gradibus liceat contrahere; sicut factum est, cum Innocen. III. prohibitionem 7. graduum in 4. contraxit: quod nihil aliud fuit, quam interpretari, cessare in illo statu temporum, & hominum, causam diuinæ prohibitionis illorum trium graduum remotiorum, propterea quod ultra 4. gradus iam se pro consanguineis non agnoscerent. Usque adeo

iam memoria generis tunc deficiebat, uita hominū in dies facta breuiore. Quare cum ait Innoc. III. Ext. de consang. & affinit. uolens dispensationem generalem facere in tribus gradibus, id est, v. vj. & vij. non debet reprehensibile iudicari, si secundum uarietatem temporum statuta quandoque uariantur humana: statutum humanum uocat suam interpretationem diuinæ legis, cuius causa, & ratio, quæ erat uelut anima legis, iam deficiebat suo tempore in tribus illis gradibus, non autem deficiebat tempore Greg. qui 35. q. 2. & 3. sic ait, progeniem suam unumquemque usque ad vij. decernimus obseruare generationem, & quandiu se agnoscant affinitate propinquos, ad coniugalem copulam accedere denegamus: & rursus, de propinquitate consanguinitatis per gradus cognationis placuit usque ad septimam generationem obseruare, non dixit, placuit, quia eius esset hæc institutio, id est, humana, sed quia uisum est Pontifici, ut seruaretur lex diuina de 7. gradibus propinquitatis prohibitis: interpretatusque est, legem diuinam de non accedendo ad proximam sanguinis pertingere usque in septimam generationem, quia usque ad eum gradum procedat propinquitas, & memoria generis, quod probat ex legibus ciuilibus, que (inquit) usque ad 7. gradum protendunt hæredum successionem, non enim succederent, nisi eis propagine cognationis deberetur: & Calixtus II. ibidem coniunctiones (inquit) consanguineorum fieri prohibentur, quare, quia has (inquit) diuinæ, sæculique leges prohibent, non dixit, ecclesiæ leges, sed diuinæ, & ciuiles, neque dixit, coniunctiones consanguineorum in his, aut illis gradibus, sed consanguineorum simpliciter, ut omnes gradus propinquitatis lege diuina uetitos esse intelligeremus, tametsi non æqualiter, sed ut dixi, alios magis, alios minus, Ex his, quæ à me hæcenus explicata sunt, intelligi potest, quale sit, quod S. Thomas tradit, prohibitionem in gradibus secundum quasdam personas fieri iure naturali, secundum alias iure diuino, secundum alias constitutione humana: si enim prohibitio in gradibus ducit ortum ex lege naturali simul & diuina honorandi patrem, & matrem, & non reuelandi turpitudinem eorum, neque turpitudinem

sanguinis eorum, quia turpitudine patrum est, non oportebat sic distinguere, aliam prohibitionem fieri in gradibus iure naturali, aliam iure diuino, utraque enim fit naturali simul & diuino: tamen si latitudo quoque fit in prohibitionibus, quæ fiunt iure naturali, & diuino, alia enim magis, ut dixi, alia minus prohibentur: in quibus enim transeundo legem grauius peccatur, ea magis prohibentur. aliud uero membrum diuisionis tripertita, scilicet aliam prohibitionem fieri in gradibus constitutione Ecclesiastica, satis me ostendisse existimo, non habere locum, sed potius uacare, prohibitio enim in gradibus lege diuina facta est, ut docui, non autem institutione humana, quod rursus hac breui argumentatione demonstro: non accedere ad propinquam sanguine, Deus præcepit, ubi causa, propter quam hoc præcepit, existeret, sed propinquitas sanguinis, quæ propinquitas non uoluntate humana, sed natura existit, terminatur 7. gradibus, ergo non accedere ad 7. gradus Deus præcepit: neque enim uerum est, quod quidam tradunt, prohiberi quidem iure diuino propinquitatem in matrimoniis, sed hos, aut illos gradus non diuino, sed humano iure prohiberi: non ita est, qui enim prohibet generale aliquid ratione aliqua quale est, accedere ad proximam sanguinis sui, si idem auctor facit singularia, id est, gradus singulares, in quibus existit illud generale, quod extra illas singularia nihil est, idem prohibet etiam ratione præcepti generalis illa ipsa singularia, id est, illos ipsos singulares gradus propinquitatis. satis ergo hactenus responsum sit ad argumentum difficilius, quod in hac quæstione ab iis, qui contra sentiunt, fit, quod tale est, si gradus cõsanguinitatis ex institutione humana factus est impedimentum matrimoniij, ergo clam contrahere similiter poterit fieri, ex institutione humana impedimentum matrimoniij: probaui iam falsum esse antecedens, & quemadmodum intelligendum esset, quod tradit S. Thomas, explicauit.

Alia argumentatio eorum, qui contradicunt, est sumpta ex tertia par. S. Tho. q. 54. art. 4. in resp. ad 2. sicut contractus, & officia humana determinantur legibus humanis, ita contractus & officia spiritualia lege Ecclesiæ, sed ma-

trimonium est non solum sacramentum, sed contractus, & in officium, ergo determinatur lege Ecclesiæ: quod si hac ratione determinatur matrimonium lege Ecclesiæ, ergo matrimonium clandestinum quia contractus est, & in officium, similiter lege Ecclesiæ potest determinari, ita ut irritum ab ea fiat. Respondeo, tunc quidem concedi posse, matrimonium ordinationi Ecclesiæ subiacere, quatenus est contractus, si non accederet ad huiusmodi contractum matrimonialem stipulatio Dei secundum legem eius, quæ quidem stipulatio efficit, ut contractus iste non tantum humanus, sed diuinus quoque sit, ita ut ratione contractus non possit matrimoniū subiacere determinationi Ecclesiæ. hoc autem quod dixi de stipulatione Dei accedente ad hunc contractum, docet scriptura per Malach. prophetam c. 2. accusans enim Hebræos, quod uxores suas post reditum ex captiuitate dimitterent, & acciperent alienigenas, ut est in lib. 1. Esdræ, Dominus (inquit) protestatus est inter te, & uxorem tuam: ad mutuum ergo consensum contrahentium accedit protestatio Dei, quæ contractum matrimonij facit insolubilem, & immutabilem. neque rursus quatenus est matrimonium in officium, magis est ordinationi Ecclesiæ subiectum, quàm baptisumus, ut S. Thomas existimauit: esset enim sacramentum matrimonij magis quàm baptisumus, subiectum ordinationi Ecclesiæ, quatenus est in officium, si esse in officium, conueniret quidem matrimonio ex ordinatione, atque lege Ecclesiastica, sed non ita est, immo conuenit ex ordinatione, atque lege Dei, ut Scriptura sancta docet, quæ legem matrimonij sanciens, erunt (inquit) duo in carnem unam, quod quidem significat, coniungi in matrimonio duos in unum unitate, siue unione carnali ad adiuuandam generationem, si generare oporteat, quod pertinet ad officium naturæ, id quod Paulus quoque clarissime interpretatus est, cum ait. 1. Corin. c. 5. qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur cum ea: & subiungit, erunt enim duo in carnem unam: ergo esse in carnem unam, significat etiam esse matrimonium in officium, scilicet generationis, quod quidem officium in iunctis matrimonio honorabile est, & immaculatum, in iunctis uero per fornicatio-

nem pollutum, & turpe, ita ut corpus fornicationis efficiatur corpus meretricis, cui adhæret. item Salo. in Prou. c. 5. collatæ (inquit) cum muliere adolescentiæ tuæ, conuerfetur tecum, & præeat te, & fit simul tecum in omni tempore. deinde subiungit, in amicitia enim eius eris multiplex, hoc dicit, quia maritus fufcipiens liberos uidetur fieri in eis multiplex: hoc ergo pertinet ad matrimonium, ut ex lege Dei, & non ex lege hominum fit in officium generandi, & multiplicandi, ficut Deus dixit iunctis matrimonio, quales fuerunt Adam, & Eua, crefcite, & multiplicamini: ergo cum effe facramentum matrimonij in officium, ex lege Dei descendat, non poteft hac ratione fubiacerè ordinationi Ecclefiæ, ita ut poffit ipfa Ecclefia, auctoritate fua ullum genus impedimenti conftituere matrimonio, quatenus eft in officium.

Præterea fi quia hoc facramentum eft etiam in officium, magis fubiacet ordinationi Ecclefiæ, ut uult S. Thomas, quàm facramentum baptifmi, fimiliter licebit dicere de facramento ordinis, fcilicet magis fubiacerè ordinationi Ecclefiæ, quia non tantum fit facramentum, fed etiam fit in officium, fiue ministerium: ad ministerium enim ordinantur in Ecclefia, Epifcopus, Sacerdos, & Diaconus, & non ita eft, non enim hac ratione magis fubiacet ordinationi Ecclefiæ, quàm facramentum baptifmi: neque poteft facere Ecclefia, ut qui capax ordinis eft, fi accedat ad eum, qui habet ordinandi poteftatem, non accipiat characterem ordinis, non magis quàm fi accedat quis ad baptifmum, & ex iure diuino capax fit eius, facere poffit, ut non accipiat characterem baptifmalem.

Rurfus argumentantur fic, fi Ecclefia potuit facere, ut dirimatur matrimonium contractum cum ea, quæ probatur machinata mortem uiro fuo 31. q. 1. c. Si qua mulier: ac propter adulterium cum promiffione de contrahendo cum adultera mortuo uiro 27. q. 1. c. Relatum. ergo poterit fimiliter Ecclefia ftatuere, ut dirimatur clandestinum matrimonium propter machinationes, uiolentias, facrilegia, feditiones, & alia mala, quæ inde nafci folent: Refpondeo, falſum eſſe, quod iſti aiunt, poſſe dirimi matrimonium cō-

tractum cum ea, quæ mortem uiri sui machinata est, quod enim est in c. Si qua mulier 31. q. 1. ex concilio Elibertino, scilicet ut ipsam uxorem, quam uir probauerit machinatam fuisse mortem suam, possit dimittere, & si uoluerit, aliam ducere, hoc inquam, apocryphum est, neque est alius Canon cum hoc concordans, & merito appellatus est palea tãquam abrogatus. Deinde si propter adulterium uxoris non potest dirimi matrimonium, quoad uinculum, ergo neque propter machinationem uxoris in mortem uiri dirimi potest, Apost. enim simpliciter dixit, mulier alligata est legi, quandiu uir eius uiuit, non dixit, quandiu non probatur machinata mortem uiro suo, sed quandiu uir eius uiuit, dicaturque *ἀκυρον* Græce, idest, abrogatus, & sit eo pondere, quo est *ἀκυρον*, idest, palea. Item Dominus in Euang. quod ergo (inquit) Deus coniunxit, homo non separet: cum hominem dixit, omnia etiã humana uitia, & flagitia intelligi uoluit, ut propter nullum hominem, aut ullum hominis flagitium, & scelus, quale est machinatio mortis, liceat uxorem dimittere, & aliam ducere, similiter falsum est, propter adulterium cum promissione de contrahendo cum adultera mortuo uiro eius matrimonium cum ea contractum dirimi: quod enim ex Tibur. Concilio allegatur 27. q. 1. c. Relatum, prohibemus, & anathematizamus tale coniugium, non dicit dirimimus, aut dissoluimus, sed prohibemus, & anathematizamus, id est, prohibemus proposita pœna anathematis, ne cum tali contrahat. Rursus sic argumentantur, Ecclesia illegitimauit personas propter crimen infidelitatis, ut scilicet fidelis cum infideli ne contrahat, uel propter crimen adulterij cum promissione de non contrahendo cum adultera post mortem uiri proprij, ergo poterit similiter illegitimare personas propter crimen occultationis, ex quo multa crimina sequuntur: Respondeo, non illegitimari personas auctoritate Ecclesiæ propter crimen infidelitatis, sed potius auctoritatẽ traditionis Apostolicæ, quæ traditio Apostolica cum scriptura, quæ legem coniugij continet, cõnexa est, & ex ea demonstrabilis est: ideo enim fidelis, & infidelis non sunt personæ legitimæ ad contrahendum matrimonium, quia non possunt fieri duo in unum unitate conspi-

rationis ad sobolem educandam in Dei fide, & cultu, quod necesse est secundum traditionem Apostolica doctrina, quã Clemens Rom. litteris mandauit, & nos nunc in lucem emittere paramus: inde enim didicimus, ut supra iterum dixi, præter alias unitates, quæ matrimonio infunt, oportere ut possint fieri, unum unitate conspirationis: itaque infidelitas non est impedimentum matrimonij ex statuto Ecclesiæ, ut quidam Antonius Delphinus nuper scripsit, sed ex natura matrimonij, quia aduersatur scilicet essentialibus matrimonij, unitati, inquam, conspirationis, quæ, ut tradit Apostolica diataxis, essentialis est matrimonio.

Præterea, sic adhuc argumentatur, si propter uxoricidiũ, ut tradit S. Thomas, potest Ecclesia illegitimare personam, ne amplius cotrahat, aut si contraxerit, dirimatur matrimonium, ergo poterit similiter dirimere matrimonium clandestinum propter infinitam materiam malorum, quam præbet: Respondeo, hoc nullo Canone, aut Decreto probari, quod propter uxoricidium dirimatur matrimonium, neque uerum est, quod tradit S. Thomas, uxoricidium esse contra substantiã matrimonij: & si enim destruat matrimonium suum, qui occidit uxorem, non tamen affert aliquid, quod contrarium sit substantiæ, & essentiæ alterius matrimonij: quamuis enim uxorem occiderit, nihil prohibet ex natura ipsius matrimonij, quin ipse, qui uxorem suam occidit: & alia mulier, cum qua contrahit, fieri possint unum unitate naturali, qua fiunt coniuges os ex ossibus, & caro ex carne: & unum unitate conspirationis, & unum unitate affectus coniugalis, item unum unitate communionis uitæ, & unitate moris. Præterea, si ponamus esse uxoricidium contra substantiam matrimonij, ut tradit S. Thomas, & alij eum secuti, ergo uxoricidium iam non potest fieri impedimentum matrimonij ex institutione Ecclesiæ, ut ipsi uolunt: quia sicut Ecclesia non potest instituere essentialia matrimonij, ita non potest instituere aliquid, quod eis contrarietur, naturam enim & substantiam omnis sacramenti Dominus instituit, non homo: & idem Dominus destruere potest, non homo.

Præterea, qui uolunt posse fieri irrita matrimonia clandestina,

stina, sic etiam argumentantur, sicut statuit Dominus in Exod. Vt uirgo seducta non pisset accipi in matrimonium ab eo, qui eam seduxit sine uoluntate, & assensu patris, quod erat, palam eam accipere, fere enim clandestina matrimonia fieri solent sine uoluntate parentum, ergo similiter poterit nunc statui, ut non clam, sed palam, & assentientibus parentibus, si ita uideatur, contrahantur matrimonia, Respondeo ad hoc, illud statuisse Deum propter nimiam libidinem Iudæorum, quam lex, & prophetæ frequenter eis exprobrant, ita ut dici possit à nobis similiter atque de libello repudii Dominus dixit, à principio autem non sic: immo secundum legem coniugii à Deo sancitam, si opus sit, relinquere oportet patrem, & matrem propter uxorem, cui uir adharere debet, tantum abest, ut fieri possit, ut sine illorum consensu matrimonium non consistat.

Rursus argumentantur, in clandestinis matrimoniis est libido, & dolus, ubi uero hæc sunt, Deus nõ assistit, ergo possunt fieri irrita: Respondeo, demus hoc, libidinem, & dolum esse in clandestino matrimonio, ergo Deus non assistit, nõ hoc sequitur: assistit. n. ad operandum id, quod ipse instituit, id est multiplicem unitatem, & insolubilitatem matrimonio essentialem, hos effectus libido, & dolus contrahentium impedire non possunt, modo uere isti in matrimonium consentiant: qui enim consentiunt in matrimonium, consentiunt in essentialia matrimonij: & qui consentiunt in essentialia matrimonij, & nihil habent, quod contrarietur illis essentialibus, ij sunt prorsus capaces illius multiplicis unitatis matrimonialis, indissolubilis: hunc uero effectum mutuus utriusque patris consensus operatur per uirtutem diuinam, & energiam spiritualem, quæ aduenit consensui contrahentium: huiusmodi ergo consensus uirtute diuina superueniente frustrari non potest effectu suo propter ullam libidinem, aut dolum contrahentium: sicuti cum quis fide accedit ad baptismum, sic assistit Deus, ubi illa fectio est, ut non possit illa ipsa fectio, & simulatio prohibere, quin Deus det uirtutem, & energiam spiritualem mersioni aquæ cum inuocatione patris, & filij, & Spiritus sancti ad operandum characterem baptismale. similiter fit in eo, qui simoniane

ordinatur, ubi neque simonia prohibere potest, quin sit ordinatus, & character ordinis imprimatur.

Præterea obiciunt, fortasse nobis Canonem beati Basilij 36. puellæ, quæ in potestate parentum adhuc sunt, si contra eorum uoluntatem nupsierint, in peccato fornicationis hærent, & rursus can. 38. quæ (inquit) contra uoluntatem Domini sui nupsit, fornicationis crimen commisit, si uero postea ueniam impetret, iam nupsit, ita ut illa quidem fuerit fornicatio, hoc uero coniugium, contractus enim eorum, qui in alterius potestate sunt, nihil habent rati: eandem sententiam repetit can. 40. ex his igitur Canonibus beati Basilij, qui in matrimonio clandestino nobis cōtraducunt, sic argumentatur, matrimonia, quæ contrahuntur sine consensu parentum, aut Dominorum, sub quorum potestate sunt, qui contrahunt, fornicationes sunt: sed matrimonia clandestina fere contrahuntur sine consensu parentum, aut Dominorum, ergo talia matrimonia clandestina fornicationes sunt: ac proinde digna, ut irrita esse declarentur. Respondeo, Canones istos Basilij de irritis coniugijs seruorum sine consensu Dominorum, & puellarum sine consensu parentum non esse legitimos, neque Ecclesiasticos: sed potius ad normam, & exemplum ciuiliū legum per errorem compositos, & formatos, ac proinde non esse tenendos. de coniugio quidem seruorum intelligi potest 29. q. 2. c. fin. & ext. de cong. ser. c. dignum est. de coniugio uero puellarum, quæ sunt sub potestate parentum, ex decreto Lucij Pont. ext. de raptor. c. cum eam. sic enim statuit de eo, qui sponsam suam rapuit parentibus sponsæ, iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum: & prius eam desponsauerit, quam cognouerit, licet parentes reclamarent, à quibus eam dicitur rapuisse: licet reclamarent (inquit) scilicet in desponsatione, non autem, licet reclamarent in raptu: ut cuidam alioqui erudito auctori nuper uisum est, qui sic Lucij decretum intelligendum esse affirmat, quasi ille sic scripsisset, iste raptor dici non debet, quamuis parentes reclamarent, cum habuerit mulieris assensum: & prius eam desponsauerit, quam cognouerit: at si sic Lucius Pontifex intelligi uoluisset, profecto sic dixisset: ut aliquid

simile dicamus, atque dixit Alexander III. Ext. de decimis. c. ad audientiam, si intelligeremus, inquit, tantum modo de noualibus, ubi ponimus de laboribus, de noualibus poneremus. itaque non licet sic leges, & decreta interpretari, ut eorum uerba licet non mutemus, aliter tamen collocemus, quam ab auctoribus collocata sunt: quis enim ignorat, eisdem uerbis alio, & alio modo dispositis aliam, & aliam sententiam subiici posse?

Obiiciunt præterea contra matrimonia clandestina illud Euaristi 30. quæstione 5. capi. Aliter, ad quod respondemus, nusquam esse in toto eo capite immo neque in tota episto. Euaristi prima, unde sumptum est illud capitulum, uerbum clandestini, fatemur quidem prohibenda esse talia matrimonia clandestina pœnis propositis, & constitutis clam contrahentibus, & ad hoc ualere illud caput ex episto. Euaristi, non tamen ualere ad hoc, ut irrita fieri debeant, aut fieri possint. itaque Euaristus adulteria, aut stupra, uel contubernia, id est concubinatus, uel fornicationes dicit esse, ut quidem sunt, matrimonia non clandestina, sed præsumpta: sunt autem matrimonia præsumpta, cum probari potest, non interuenisse consensum matrimonialem inter illas personas alioqui legitimas: per consensum enim matrimonialem legitime coniungitur uxor uiro. sic autem esse intelligendum, demonstro ex ipso textu collatis, & examinatis antecedentibus, & consequentibus, & adiunctis nonnullis ex ipsa epist. Euaristi à Gratiano prætermisissis: Similiter (inquit) custoditum, & traditum habemus, ut uxor legitime uiro coniungatur: aliter enim legitimum, ut à patribus accepimus, & à sanctis Apostolis, eorumque successoribus traditum inuenimus, non fit coniugium, nisi ab iis, qui super ipsam fœminam dominationem habere uidentur, & à quibus custoditur, uxor petatur: & à parentibus, & propinquiorebus desponsetur: & legibus dotetur, & suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus, & benedictionibus à sacerdote benedicatur: & à paranympis, ut consuetudo docet, custodita, & consociata à proximis, congruo tempore petita, à legibus dotetur, ac solenniter accipiatur & biduo, uel triduo rationibus uacet.

& castitatem custodiant: ita peracta, legitima scitote esse
 coniugia: deinde subiungit, aliter uero praesumpta, non
 coniugia, sed aut adulteria, aut contubernia, aut supra,
 uel fornicationes potius quam legitima coniugia esse non du-
 bitate: & subiungit statim rem totam declarans, nisi uolun-
 tas propria suffragata fuerit, & uota succurrerint legitima:
 praesumpta ergo coniugia uocauit, quibus propria uoluntas,
 & legitimus consensus matrimonialis ideo est, qui quidem
 quandiu deest, adulteria sunt ista, aut supra, aut forni-
 cationes, aut contubernia, siue concubinatus: sed hoc magis
 adhuc declarant, quae sequuntur, quae à Gratiano praetermis-
 sa sunt, & ab illo uiro erudito, qui nuper de hac re scripsit:
 & in hoc decreto Euaristi explicando contra matrimonia
 clandestina uehementer laborat: si enim aliter (inquit) praes-
 sumpta fuerint, perdunt profecto ipsi transgressores se ipsos,
 qui se ipsos decipiunt: haec cuncta recitanda per omnes Ec-
 clesias Africanas scripta dirigite, & istis conuectite quas
 adiunximus litteras praefectorum: ut de iis, quae inique lau-
 dantur, ideo est, de coniugiis, quae habentur falso pro coniu-
 giis, cum sint potius concubinatus, si quid tale (inquit) pro-
 bari poterit, iudicium fiat, & inhibita coerceantur, & praer-
 rita mala, & illicita coniugia si doceantur admissa, digna
 seueritate corripiantur; cum ait, si probari poterit, satis
 ostendit, praesumpta, & non legitima coniugia uocari hic,
 non quidem illa coniugia, quae caruerunt illis honestis con-
 ditionibus, quibus caruisse facile est probare, quod scilicet
 non sit puella, à parentibus, sub quorum potestate erat, pe-
 rita, neque desponsata à propinquis, neque dotata à legi-
 bus, neque benedicta à sacerdote, sed potius quae probari
 possunt, quod difficilius est, caruisse suffragio propriae uo-
 luntatis, & proprio consensu matrimoniali, qui efficit legi-
 timum coniugium; quod quidem si probari poterit, iudi-
 cium inquit Euaristus, fiat, & talia coniugia si doceantur
 admissa, digna seueritate corripiantur. congruunt cum
 his, quae ab Euaristo sancita sunt, quae de huiusmodi ma-
 trimoniis scripsit Tertull. in lib. de Pudicitia, occultae (in-
 quit) coniunctiones, & non prius apud Ecclesiam professae,
 iuxta Mœchiam, & fornicationem iudicari periclitantur,

ne inde obtentu matrimonij crimen eludant. non dixit, iudicantur iuxta Mœchiam, & fornicationem, sed periclitantur indicari, quia scilicet existimari possunt, qui clam contraxerunt, non consensisse in matrimonium, sed potius in concubinatum, quem dissimulant honesto nomine matrimonij: quod quidem si probari poterit, ut ait Euaristus tanquam illicitum coniugium puniendum est: ergo à contrario sensu, si probari non poterit defuisse consensum matrimoniale, immo uero fuit reuera consensus legitimus, in matrimonium, & non in concubinatum, siue probari possit, siue non possit, secundum Deum matrimonium est: & non potest secundum Deum separari: atque ita Euaristus nobiscū potius facit, quā contra nos: immo facit plane contra eos, qui matrimonia clandestina, quibus propria uoluntas suffragata est, censent posse irrita fieri ab Ecclesia contra scripturam, quæ simpliciter dicit, quod Deus coniunxit siue palam, siue clam, homo non separet: & contra ueram rationem legitimarum ad contrahendum matrimonij personarū, quæ non extinsecus, ut à quibusdam fit, sed ex iis, quæ ad naturam matrimonij pertinent, ducenda est.

Satis hæcenus demonstraui, clam contrahere, non posse fieri ab Ecclesia impedimentum matrimonij, quia non possit fieri ab ea, ut aduersetur iis, quæ sūt de essentia matrimonij: & quia maxime nobis obstare uidebatur, quod tradit S. Thomas, ex Ecclesiæ institutione esse, ut gradus aliqui consanguinitatis fierent impedimētum matrimonij, ex quo statim sequi uidebatur, ut similiter Ecclesia facere posset, ut clam contrahere fieret impedimentum matrimonij, explicauī, quid fecerit Ecclesia statuendo, & dispensando, ut aliqui gradus cōsanguinitatis aliquādo impedimētū essent, aut non essent, scilicet interpretata est Ecclesia per Pont. totius orbis christiani pastorem, & magistrū, quando uigeret causa, & ratio illius legis diuinæ, quæ ad honorem parentum, & ad multiplicationem amicitia prohibebat accedere ad proximam sanguinis sui, aut uxoris suæ, quæ est caro uiri, & quando non uigeret causa, & ratio talis legis diuinæ. Causa enim legis diuinæ non uigente, neque lex uiget: atque ita demonstratum est, qui in matrimoniis clandestinis ab-

rogandis nobis contradicunt, nihil adiuuare eos, quod sanctus Thomas tradit, esse ex institutione Ecclesiae prohibitionem aliquorum graduum consanguinitatis: ostendi enim clare, non esse ex institutione Ecclesiae, nisi secundum interpretationem, quin potius esse ex institutione, ac lege diuina. Et admonui, in lege diuina prohibente esse latitudinē, alia enim magis prohiberi lege diuina, alia minus, & alia habere causas perpetuas, & nunquam deficientes, alia non habere perpetuas, sed potius aliquando deficientes, & ideo in alia posse cadere dispensationem, in alia non posse: interpretationem uero horum pertinere ad Magistrum uniuersalem, qui est Pont. qui praest Ecclesiae Catholicae: Respondi praeterea ad caetera argumenta aduersariorum.

Superest nunc postremo loco breuibus & concisis argumentis ueritatem conclusionis nostrae sic astringere in modum epilogi. omne impedimentum matrimonij contrarium est iis, quae sunt de essentia matrimonij, haec est S. Thomae, sed illud clam contrahere non potest contrarium esse iis, quae sunt de essentia matrimonij, ergo non potest fieri impedimentum matrimonij; satis sunt haec à me supra explicata, & probata. Item Ecclesia sine fundamento legis diuinae, quae prohibet in Leuitico accedere ad proximam sanguinis, quae ad decalogum, id est, ad mandatum de honorandis parentibus pertinet, non potuit instituere, ut aliqui gradus consanguinitatis essent aliquando impedimentum matrimonij, in hac enim lege diuina tanquam in fundamento nititur prohibitio Ecclesiastica graduum, quae magis est interpretatio, quam legislatio, siue institutio, ergo similiter non poterit Ecclesia instituere sine fundamento legis diuinae, ut illud clam contrahere sit deinceps impedimentum matrimonij, sed nulla est lex diuina, in qua tanquam in fundamento niti possit talis prohibitio claudenti, ergo non potest sanciri tale impedimentum. Ad haec, in iis, quae praecipua sunt nostrae religionis, ut sunt dogmata fidei Catholicae, & sacramenta, nihil asseri debet sine scriptura, aut sine traditione Catholicae in Ecclesia Dei praedicationis, quae ex Apostolica praedicatione per successiones Episcoporum, & Ecclesiarum descendit, sed posse institui hoc nouum impedimentum sa-

cramenti matrimonij neque ex scripturis demonstratur, neque continetur in traditione catholicae, & uniuersalis praedicationis in Ecclesia Dei, quae haecenus ab Oriente usque ad Occidentem contrariam praxim tenuit, & tenet: ergo asseri non debet, institui posse tale impedimentum. Item, si iste modus clam contrahendi posset sanciri, & fieri impedimentum matrimonij, iam iste modus fieret pars materiae sacramenti matrimonij: sed non potest ab Ecclesia statui, aut fieri noua materia aut noua pars materiae ullius sacramenti, quia materia, & forma, ex quibus essentia matrimonij constat, à Deo est instituta, ergo iste modus clā contrahendi non potest fieri impedimentum matrimonij. Deinde concilium œcumenicum Florentinum statuit, regulariter solum consensum contrahentiū sufficere ad matrimonium, ergo clam contrahere non potest fieri impedimentū, alioqui non iā solus consensus, sed consensus publicus requiretur: atque ita duo œcumenica concilia circa sacramentum matrimonij contraria statuerent, scilicet solum consensum sufficere, & non solum consensum sufficere.

Sed astringam adhuc fortius huius conclusionis ueritatē. Scribit Apost. i. Cor. c. 7. si quis putat se turpē uideri super uirginem suā, quia sit superadulta, dedecus enim esse putat parentes, si filias iam grandiores non tradant nuptum, quod sic fortasse uideantur, aut non reperire generos, aut non habere dotem: si quis igitur (inquit Apost.) turpē se uideri existimat super uirgine sua, quod sit superadulta, & ita oportet fieri, id est, & hac ratione dedecoris, quod esse existimat, necesse habeat, ut filia, quae alioqui nubere expetit, nubat, faciat (inquit Apost.) quod uult iste, non peccat, si filia nubat: deinde hortans parētes ad seruandū filias suas coelibes, & intactas, modo ipsae uirgines uelint sic permanere, subiūgit, nā qui statuit in corde suo firmus, id est, qui promisit seruare scilicet uirginem suā, nō habens necessitatē, sed potestatem habens uoluntatis suae, tunc. n. non habet pater necessitatem, sed potestatem uoluntatis suae, quando filia uult idem, quod pater uult, & quod pater in corde proposuit, seruare, scilicet filiā suā intactā, & sine matrimonio, bene (inquit) facit. s. seruando; quod si secundum Apost. id est secundum le-

gem Dei pater habet aliquando necessitatē, & non potestaté uoluntatis suæ, scilicet quando uellet ipse seruare filiam suā uirginē, sed ipsa uult omnino nubere, ergo secundū legē Dei non potest prohiberi, quin uirgo habeat simpliciter secundū legem Dei potestatem uoluntatis suæ ad nubendum personæ secundū ius diuinum legitimæ: at si hoc, quod est clam contrahere, fieri posset impedimentū matrimonij, non haberet iam ipsa uirgo potestaté uoluntatis suæ ad nubendū personæ secundum ius diuinū legitimæ, quod est contra Apost. quia clā uoluit nubere personæ alioqui legitimæ, & irritū fuit, ergo clā contrahere nō potest fieri impedimentū matrimonij. ille itē auctor eruditus, quē paulo ante dixi, cum hunc ipsum locū Apost. contra matrimonia clandestina protulisset, quia scilicet Apost. dixerit, patrem familias in iungenda, aut non iungenda matrimonio filia habere potestaté uoluntatis suæ, nescio cur prætermisit illud, non habens necessitatē, aut quō intellexit, ipse explicet, qui Paulū sententiæ nostræ obiecit.

Cōfirmo hæc auctoritate beati Ambr. in lib. de Virginib. reprehendit eos, qui uirgines suas prohibebant, ne se in monasteria dicare uellent inter moniales, immo inde eas abstrahant, si filia (inquit) uestræ hominem amarent, secundū legem liceret, quē uellent eligere, hominem liceat, Deum nō liceat? profecto non liceret secundum legē Dei eligere, quē uellent, si postquam elegerunt personam secundū legem Dei legitimam, separari possent ullo statuto Ecclesiæ. non approbat Ambr. quod filia ament, & eligāt suo iudicio, quem uelint, & clā nubant, quod facere solent istæ, quæ amant, absit, non hoc approbat: sed illud plane significat, nō posse separari neq; irrita fieri huiusmodi matrimonia, idemq; faciendum esse, immo multo magis in iis, quæ Deo nupserunt, & se ei dedicarunt. Sit igitur hæc breuis argumentatio ex Ambr. sententia, & uerbis cōposita, si clam contrahere posset fieri impedimentum matrimonij, illæ, quæ amant, nō possent secundum legem Dei eligere, quem uellent, quia istæ fere solēt contrahere clam, sed hoc negat Ambr. ergo & illud, unde hoc sequitur, negabit etiam. negat igitur beatus Ambr. fieri posse ab Ecclesiā contra legem Dei impedimentum matrimonij clam contrahere, & nos idem cum eo negamus.



P. P. DOM KSIĄŻKI
— ANTYKWARIAT —

* 077638

restatē
um suā
gē Dei
cundū
ersona
m con
beret
ersona
. quia
uit, er
nonij.
psum
quia
t non
sua,
t quō
ecit.
inib.
mo-
bstra
dū le
nō
quē
Dei
ppro
n ue
bsit,
rari
dum
se ei
nbr.
feri
t se-
blēt
nde
feri
tri-
no

BIBLIOTEKA KÓRNICKA

13801